

quod habetis; ne mens vestra dum terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis ipsa magis possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio: sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione. Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur.»

IV. Cum semper parati sumus temporalia omnia potius derelinquere, quam Deum offendere. Si enim virtualiter ea relinquimus, quia non nisi cum Dei voluntate retinere volumus, sic religiosus, qui cum voluntate sui prælati aliquid habet, quod contra illam minime vult habere. Ita Joseph tunicam suam reliquit, Gen. XXXIX. malens privari suo, quam contractare alienum et contra dominum suum peccare. Ita benevolus ille scripiorum præsidens, cum juberetur ab imperatore Valentiniano in gratiam Arianorum contra patrum fidem decretum aliquod scribere, nedum allici potuit novæ dignitatis pollicitatione, sed cingulum ad pedes impia præcipientium abiecit, officio suo resignavit, quod conscientiam suam illæsam servaret, Baron. anno 386. Potes igitur ac debes multoties hoc modo relinquere tua: parentes, cum a Deo vocaris ad religionem, vel iniquum aliquid ipsi tibi præcipiant: fratres et amicos, cum scandalo tibi et impedimento ad salutem sunt. Potes ac debes relinquere uxorem ac liberos tuos, cum ipsi te a justitiæ tramite retrahere conantur, quo modo fecit Thomas Morus, suadente ipsi uxore, ut saltem fide impio Henrici regis decreto assentiretur: domum, cum ratione illius ad hæresin acceptandam, vel retinendam cogaris: agrum, cum malo titulo eum obtines, vel injusta hæreditate. S. Dorotheus Dositheo discipulo suo, quem videbat contra proprietatem monasticam valde amare cultrum aliquem, dixit: *Quid potius tibi vis? Servus esse hujus cultri, an Christi?* ib. de puritate vitæ, c. IV. Ita tibi dico: Mavisne esse servus Christi, an creaturæ?

V. Cum nos ipsos mortificamus et sæcularia desideria, quæ per bona nostra temporalia facile consequi possemus, nobis ultro interdiximus: adeoque in ipsa abundantia pauperem et religiosam vitam agimus, non ex avaritia similive causa, sed propter regnum cælorum et amore Dei. Nam qui revera se bonis suis abdicant, et perfectionem sectantur, ideo abdicant, ne bonis suis abuti, et ad voluptates abstrahi possint. Unde si quis sibi ipsi tale frænum ingerat, ne ad parvos fines suis opibus abutatur, his censebitur reliquisse eas, siquidem relinquit voluptates illicitas, quas sibi poterat parare; sicut cum aliquis in urbe manens se includit, non dissimilis est illi, qui urbem fugit et eremum petit. Dominus Matth.

XIX. ait: *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Tales autem sunt non solum, qui castitatem ex voto servant, sed etiam, qui in dignitatibus, divitiis, et prosperitatibus constituti, amore virtutis sibi abscindunt delicatas epulas, splendidas vestes, pompam famulantium, equorum, canum, et similibus copiam: recreationes vanas, choreas et fiducias, nominis celebritatem, favores non ambiunt, gloriam non querunt, non superba ædificia, molliores lectos, nobilitatem, etc. Ita S. Hieronymus, qui sæpe ad summos honores evehi potuisset, si voluisset, de se in epistola ad Eustochium scribit: *Ego ob gehennæ metum carcere isto (deserti horribilis et antri deformis) me ipse damnavi.* Ita Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem de virgine,* Job. XXXI. Modus relinquendi nostra videtur similiter necessarius, quia alioqui voluptates suffocant spiritum, ut spinæ semen (his enim comparat eas Dominus) et ut vinum rationem turbat, et impedit, ne officium ea suum faciat; ita voluptates spiritum obruunt.

Quare, auditores, si perfectionis montem ascendere non potestis, divertite in Segor, et saltem huic modicæ perfectioni studete, ne alioquin vos gehennæ incendium comprehendat, quod a nobis benigne avertat Deus.

NCIO III

QUA IN RE CONSISTAT RELIGIOSORUM CENTUPLUM.

I. In abundantia rerum temporalium. — II. In gaudio spirituali. — III. In securitate vitæ. — IV. In unione animorum.

THEMA.

Omnis qui reliquerit domum, etc. centuplum accipiet. Matth. XIX.

De Serapione abbate scribit Palladius, quod cum is jam omnibus se indumentis expoliasset, ut Christi membra contegeret, ac nudus sederet, rogatus: *Quis te pater spoliavit?* prolato, quem sub axilla gerebat evangeliorum codice responderit: *Hic me nudavit,* quasi diceret: Propter fidem evangeliorum, in quibus tantæ sunt promissiones iis, qui pro Christo omnia vendunt, et dant pauperibus ita sum nudatus. Quod si ego quoque homines religiosos vellem interrogare: Quæso, boni viri, quis ita vos nudavit? Nulla vobis domus propria, nulla vestis, nulla pecunia, nulla quidquam acquirendi facultas: denique, nihil omnino vestium, quis ita vos nudavit? Non dubito quin illi confestim promerent codicem evangelii, et quidem hodierni, dicentes: Hic liber, hoc

evangelium, ita nos nudavit. Siquidem in eo promittitur nobis primo, centuplum in hoc sæculo, ut ex Marco et Luca clarius elucescit: deinde, in futuro vita æterna: « Illud in via (inquit S. Bernardus, in declam. super id: Ecce nos reliquimus, omnia) hæc in patria est. Imo hæc patria, illud via. Illud consolatio præsentis laboris, hæc futuræ felicitatis consummatio est, sic nimirum et operariis hujus sæculi solet cibus in opere, merces in fine dari. Sic militantibus et stipendia ministrantur pro necessitate laboris, et novissime donativum majus erogatur pro quantitate laboris; sic et filiis Israel, donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit. » Hæc Bernard. « At forte (subdit idem s. pater) adhuc ad hæc quispiam dicet ostende mihi centuplum, quod promittis, et lubens universa relinquo. » Cui petitioni nunc pro modulo nostro respondebimus.

I. Dico consistere hoc centuplum modo aliquo in abundantia temporalium bonorum. Hoc enim sibi velle videntur Marcus et Lucas: et ita esse ostendit Cassianus, coll. ult. cap. ult. Religiosus enim primum pro una, quam reliquit, domo, accepit centum aut plures domos, scilicet quot sunt ejus religionis domus seu monasteria. Nemo sæcularium, cum peregrinatur longius, tot domos, aut arces in itinere habet, in quibus humanissime recipitur, et optime habetur. Sanct. Bernardus cum sex fratribus germanis centum et sexaginta ædificavit monasteria, teste Sanct. Antonino, tit. XVII. cap. V. Quis negat omnia hæc illius fuisse? Sanct. Luanus monachus, ut scribit idem Sanct. Bern. in vita Sanct. Malachiæ, centum monasteriorum fundator solus fuit.

Secundo, pro uno agro seu possessione centum accepit, quia omnes monasterii redditus veleeleosynæ, adeoque alieni etiam agri ipsius sunt, non quidem quoad dominium, quod nihil prodest, sed quoad usum; juxta id apostoli: *Nihil habentes et omnia possidentes, nihil quoad proprietatem, omnia quoad usum.* Vel potius, quia ita satis habet, ut nulla re indigeret: *Vere enim dives est, non qui multa habet, sed cui nihil deest.*

Tertio, pro uno servo centum acquirit, alium pistorem, alium sartorem, etc. qui omnes fidelissime ei serviunt, et gratis quidem, quod nemo in sæculo habere potest. Imo cum dormit etiam custodem habet, cui incumbit silentii et quietis cura, ne quo strepitu excitetur: adeoque velut princeps omnia sua ministeria constituta habet absque cura, vel impensa sua.

Quarto, pro uno patre et paucis fratribus plurimos acquirit patres et fratres spirituales in sua religione, sibi devinctissimos, qui exhibent ipsi

officium parentum, aut fratrum, multo exactius et perfectius quam carnales, quos reliquit. Imo et ab aliis Christianis, plerisque magis diligitur, quam si esset aut mansisset sæcularis.

Quinto, pro parvo, quem contempsit, honore, centies majorem recipit, etiam non querens illum. Siquidem bonus religiosus excipitur, colitur, consultitur, suscipitur, velut angelus aut Christus, et qui prius in sæculo infimus erat, nunc præponitur illis, qui longe majoris alioqui nobilitatis et dignitatis sunt. Ita Moyses contemnendo aulam et coronam Pharaonis, Deus ipsius factus est uti docet S. Ambr. serm. VIII. in Ps. CXVIII. Si Josepho credimus, lib. II. antiquitat. c. V. filia Pharaonis Moysen sibi filium adoptavit, et patri successorem fieri optavit, eoque fine patri infantem in manus imposuit: at postquam acceptum ad pectus appressit, filiæ gratificaturus comiter diadema suum ejus capiti imposuit; Moyses vero pueriliter prolabi in humum passus, pedibus etiam calcavit. Dum ergo coronam regiam calcat, ampliorem consequitur, et fit Deus Pharaonis, ita S. Anton. eremite, homini alioqui ignobili, res suasque liberos commendare per litteras solebat Const. Magu. ejusque responsionibus et monitis mirifice lætari. « Similiter abbas Joannes perobscuris parentibus natus, (ut ait Cassianus, loc. cit.) ita pro Christi nomine universo pene humano generi admirabilis factus est, ut eum ipsi quoque rerum præsentium domini qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes etiam potentibus cunctis regibusque terrori sunt, velut dominum venerentur, et oracula ejus de tam longinquis regionibus expetentes imperii sui apicem, et statum salutis bellorumque proventus illius orationibus meritisque committerent. » S. Bernard. dum sæculi gloriam, dum diversos episcopatus sibi oblatos, Lingoniensem, Catalaunensem, Januensem, Mediolanensem, Rhemensem repudiavit, centuplo majores honores inde consecutus est: ei enim obediebant principes mundi, et ad ejus nutum in omni ratione stabant episcopi, ipsaque Romana Ecclesia ejus venerabatur consilia, ut in ejus vita, lib. II. c. IV. Conradus rex Romanor. Spiræ illum ad hospitium deduxit, et Francfordiæ suis ulnis ob compressionem populi de Ecclesia exoptavit, ut in vita ejusdem, l. IV. c. IV. Ad hæc ex omnibus pene nationibus accurrerunt homines ad eum videndum, lib. I. c. XIII. Ita S. Helena Constantini mater, cum Hierosolymis moraretur, virginibus Deo sacris epulum præbuit, et familiæ habitu succincta iisdem ministravit, et regina orbis ac mater imperii, famularum Christi se famulam deputavit, ut scribit Ruffinus, lib. V. c. VIII.

Cæterum hæc non principalis sed accessoria tantum illius mercedis pars est quoddam corollarium, ut religiosi deponentes hujusmodi rerum sollicitudinem, omnem suam curam ponant in quærendis æternis.

II. Dico ergo consistere in gaudio spirituali, quod centies plus valet, quam ea, quæ relinquit religiosus: est enim regnum Dei, in quantum haberi in hoc mundo potest, de quo apost. ad Rom. XIV. ait, quod sit: *Justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto*. Item S. Bernard. qui loc. cit. ait: «Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiæ Spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod intra nos est, non utique esca vel potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu.» Ibidem vocat S. Bernardus hoc centuplum rectissime *manna absconditum*, quod promittitur vincenti, Apoc. II. Quemadmodum enim manna, licet unicus cibus esset, omne tamen delectamentum, et omnis saporis suavitatem eminenter in se continebat, ita ut desiderantibus panem, carnem, pisces, saperet ut panis, caro, pisces, Sapient. XVI. cum majori dulcedine, quam in ipsismet rebus: ita evangelica perfectio, religiosi qui ex hoc mundo, velut ex Ægypto egressi, per desertum religionis tendunt ad terram promissionis, tantam parit et adfert lætitiâ et consolationem, ut tantum gaudeant in defectu bonorum temporalium, ac si ea omnia possiderent, imo centies magis. Nam ut ait Basil. in instit. monast. c. VII. «Religiosi centies sunt lætiores et hilariores cum sua paupertate, quam divites cum suis divitiis: et magis quieti et pacati cum sua vilitate et abjectione, quam sint magni et excelsi cum sua amplitudine: et magis jucundi cum sua castitate quam sint conjugati cum sua sensualitate: et magis contenti cum paupere mensa, et vili toga, et ipsismet corporis doloribus, quam splendidi in sæculo manentes, cum abundantia et deliciis suorum ciborum et vestium; ut verissime dixerit Dominus apud Marcum, se daturum hoc centuplum cum persecutionibus, id est, in ipsis persecutionibus, ut id quod horret caro, sit etiam futurum pars quædam centupli.

Sed unde, dices, hæc tam varia et excedens, eminensque suavitas hujus mannae? Primo, ex bona conscientia et segura mente, quæ Salomone teste, Proverb. XV. *Est quasi juge convivium*. Secundo, ex spe futuræ gloriæ, et promissi præmii. Quantum enim vel illud est, quod promisit Dominus religiosi, futuros illos judices aliorum hominum in die judicii, et assessores in thronis splendidissimis? Tertio, ex præsentia inhabitantis Christi et gratiæ Spiritus s. Unde S. Bern. loc.

cit. ait: *Annon centies plus habet omnium qui impletur Spiritu sancto? Qui Christum habet in peccatore? Christus est illis domus, ager, pater, frater, sponsus, pars, hæreditas*. Quare, uti, qui aurum habet, cuprum contemnit, quia majus et melius quid cupro habet; ita gaudium spirituale religiosorum includit et superat omnes sæculi divitias. Testes experti hujus rei afferri possunt tot, quot sunt religiosi Deo cum fervore spiritus servientes. Primo, s. Ephrem, qui ob consolationis affluentiam subinde exclamabat: *Recede parumper a me Domine, quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest*, Metaph. in vita, apud Sur. I. febr. idem S. Francisus Xaverius inter Indicos labores adeo recreabatur hoc manna, ut diceret: *Satis est Domine, satis est: aut minue gaudia aut tolle me de hac vita: nec enim cor mortale tanta gaudia ferre potest*, Tursel. lib. VI. c. V. Abbas Joannes, de quo Cassian. coll. XIX. tanta perfundi solebat dulcedine interiori, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset. S. Bernard. ita iisdem gaudiis absorbebatur, ut toto die Lausanensem lacum obequitans nunquam eum viderit: et Clarevalle usque Carthusiam in sella cultiore equitans nunquam eam adverterit: toto anno in una cella degens, adhuc ignoraret, an ea cælaturam haberet, uti in ejus vita, lib. III. c. I. et lib. I. c. IV. De quodam valde illustri viro nomine Arnulpho, quem S. Bernardus convertit, scribitur in lib. de viris illustribus ordin. Cisterc. quod, cum gravi quodam cholice morbo premeretur, adeo ut extra se fieret, postea ad se reversus, cepit subito magno clamore dicere: «Vera sunt quæ dixisti bone Jesu, omnia, et cum sæpius eadem verba repeteret, interrogantibus monachis cur talia verba proferret, respondit: Quoniam Dominus in sacro evangelio dixit: Quicumque pro ejus amore renuntiaverit omnibus cognatorum suorum affectibus, recipiet centuplum in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro. Ita enim ego experior nunc in meipso et fateor me nunc centuplum ipsum in hac vita recipere. Ingens enim dolor, quo crucior, adeo mihi est dulcis, ob spem firmam mihi dalam salutis meæ, ut nollem eam centuplo eorum, quæ in hoc mundo reliqui, communicare. Quod si ego tantus peccator tanto in meis calamitatibus afficior solatio: quantum accipient viri perfecti, etiam tempora suæ lætitiæ; nam vere spirituale gaudium, quo afficior, centies millies superat mundanum gaudium, quo in mundo afficiebar.» Cæterum bene dixit S. Bernard. manna hoc esse absconditum, sæcularibus videlicet, et qui in religione absque fervore et spiritu vivunt. Homines enim sæculares crucem quidem religiosorum vident, ut ait

S. Bern. serm. I. de dedicat. sed non etiam unctionem, sicuti onus quidem in curru videtur, sed non rotarum inunctio, qua mediante facile trahitur illud ad onus.

III. Consistere in securitate vitæ et curarum validitate. Sæpius audiui dicentes, nulla ætate hominem jucundius vivere quam puerili: siquidem ætas illa caret omni sollicitudine et tutissimum habet præsidium et recursum ad parentes, pro pane, vestibus et quibuscunque necessitatibus. Testatur idem experientia, nullos mortalium jucundiorém degere vitam, quam pueros et adulescentes. Atqui talis vita reperitur solum in religione, in qua nemo sollicitus est de quacunque re, sed omnes soli Deo vacantes, ad suum superiorum securissimum habent recursum quacumque in necessitate. Unde merito religionem Olympo monti altissimo comparavero, in cujus vertice si quid reponatur vel litteræ in cinerem inscribantur, nec ventis diffiantur, nec pluviis diluuntur, sed volvente anno integræ et immotæ reperiuntur: quia nimirum eam aeris regionem, quæ tempestates gignit, superat, ut scribit Solinus. Ita omnino status religionis a curis et anxietatibus sæculi remotus et ut facillime Deo servire, et in bonis suis propositis perseverare queant, qui in illo degunt. Id certe magis intelligerent, si quæ infra hunc montem, in sæculo scilicet, sunt, procellas et turbines, fraudes, dolos, tribulationes, persecutiones, cædes, rapinas, querelas et lamentationes, odia et inimicitias, insidias et pericula, mundum denique totum laqueis undique plenum cum Sancto Antonio viderent. Sed quia non dubito sat illis hæc perspecta esse, existimo potius eos gratias Deo agere, quod hæc tam grandia et innumera mala hujus mundi nequeant intueri. Matres Chalcedoniensis episcopus, ut refert Sozom. lib. VIII. cap. VI. Juliano apostata, exprobranti sibi cæcitatem, respondisse dicitur: *Gratias ago Deo, qui mihi oculos ademit, ne te impium et blasphemum viderem*. Hoc idem vos religiosi recte pessimo mundo dicitis, cum forte vobis exprobrat clausuram, humilitatem, paupertatem, etc. Testem adhibebimus omni exceptione majorem, imperatorem Theodosium juniorem. Manebat quidam monachus Ægyptius in suburbano Constantinopolitanæ urbis, et dum transiret Theodosius imperator per illam viam, reliquit omnes qui in obsequio ejus erant, et venit solus in cellam ejus, pulsans ad ostium monachi, qui aperuit ei, et cognovit imperatorem esse, dissimulavit tamen et quasi militem suscepit. Fecerunt ergo una orationem et sederunt. Cepit autem eum interrogare imperator dicens: *Quomodo se habent patres in Ægypto?* Cum ille:

*Orant pro salute nostra omnes, imperator autem circumspiciebat in cella ejus, si quid haberet: et nihil ibi vidit, nisi parvam sportulam habentem modicum panis, et lagenam aquæ, dixit ergo ei monachus: Gusta parum, et infudit ei panem et misit oleum et sal, et dedit ei aquam bibere. Dixit autem et imperator: Scis, qui sim ego? et ille: Deus te scit, quis sis. Cui imperator: Ego sum, inquit, Theodosius imperator. Mox igitur in genua procidens monachus eum veneratus est. Tum imperator: Beati estis vos monachi, qui securam vitam habetis, et non cogitatis de hoc sæculo: veritatem dico vobis, quia licet in imperio natus sim, nunquam tamen adeo delectatus sum sicut hodie pane et aqua; satis enim et libenter comedi. Sicque discedens honorare illum cepit. Monachus autem egrediens fugit et reversus est in Ægyptum, vitæ patrurum, p. II. cap. XIV. de humilitate, Baron. anno 425. nimirum verissimum est illud Eccl. IV. *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi*.*

IV. Dico consistere in unione animorum et participatione bonorum. Quidquid enim omnes habent, hoc et singuli, virtutes, scientias, dona et gratias datas: unus alterum ædificat, docet, monet, regit, corrigit, alit, juvat, etc. ita ut quivis illorum centum habeat adjuutores, qui in sæculo vix unum aut alterum invenisset, adeoque tantum possit et valeat, quantum alii centeni. Unde bene Dominus comparat eos dentibus, qui sunt sicut greges tonsarum, Cant. IV. ut exponit S. Bernard. serm. LXIV. de parvis. Ut enim dentes se mutuo juvant ad masticationem, et singuli nihil prosunt, omnes autem totum corpus alunt; ita religiosus unus absque altero nihil potest, omnes simul juncti omnia possunt. Et oves licet attonæ, quando invicem adhærescunt, se mutuo calefaciunt; quæ tamen divisæ et singulæ frigus ferre non possent: ita religiosi bonis omnibus exuti singuli perirent, omnes et uniti nihil non possunt facere. Habet quisque socium, qui medeat, qui consoletur, qui tristem visitet, qui tempore tentationum et periculorum manum porrigat, qui rerum familiarium curam gerat, qui cibos emat, coquat et condat, mensam sternat, et ad eam vocet et quidem maxima cum delectatione et charitate, quod in mundo maximi principes habere nequeunt. Omnes sunt ejusdem nobilitatis, servitutis, libertatis, obedientiæ, honoris, opum, etc. quod in spiritu prævidens David exclamavit: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, etc. quoniam illic mandavit benedictionem et vitam usque in sæculum*. Taceo alia quam plurima quæ hoc centuplum amplificat, participationem bonorum et meritum, et

qui inde nascuntur fructus plenariam peccatorum remissionem in die professionis, et quasi alterum baptismum et in die obitus securissimam spem beatitudinis, quanta haberi in hac vita potest. Nam ut ait S. Bernardus ad fratres de monte Dei: *A cella in caelum saepe ascenditur, vix aut nunquam a cella in infernum descenditur.*

Quæ cum ita sint, auditores, qui non mecum felices prædicet eos, qui ad tam felicem statum a Deo vocati sunt, ut hoc centuplo frui possint, etiam si taceamus præmium vitæ æternæ? Benedictus a Domino fuit Isaac quando solo alieno, et anno sterilitatis sevit et invenit centuplum. Gen. XXVI. Quanto feliciores vos religiosi, qui in vestra paupertate, terra aliena inventis centuplum centuplo nobilius, quam fuerit illud Isaaci. Claudamus ergo cum Sancto Gregorio Nazianzeno in carm. *Felix qui Christum fortunis omnibus emit: et cum S. August. serm. ult. de diversis: Quid est gloriosius homini, quam sua vendere et Christum emere? Cui sit honor et gloria in sæcula.*

CONCIO IV.

DE GLORIA ET GAUDIO JUDICANTII CUM CHRISTO
SANCTORUM: JUDICANDORUM VERO AB EIS
PERSECUTORUM SUORUM CONFUSIONE
ET DOLORE.

I. Dicernent hostes suos. — II. Recuperabunt ab eis honorem ablatum. — III. Videbunt suam exaltationem, hostium depressionem. — IV. Videbunt se in posterum ab hostibus securos. — V. Inimicos suos cum Christo condemnabunt.

THEMA.

Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Matth. XIX.

Nescio fere, auditores, utrum hodiernum evangelium, magis recreare et solari debeat electos, præsertim eos, qui sua reliquerunt, quam terre reprobos, qui justis sua abstulerunt, eosque persecuti sunt? Solari debet illos: quid enim excellentius, quam sedere cum Christo, et judicare orbem? Terrere debet istos, quia iudicium absque misericordia timendum eis est, qui misericordiam in iudices suos non fecerunt. Solari debet illos, quia promittit illis hostium suorum subjectionem, quam offensi solent avide desiderare. Hinc enim Marc. XVI. petiit Herodias caput Joan. Baptistæ sibi adversantis præ dimidio regni. Hinc III. Reg. III. commendatur a Deo Salomon, quod optione sibi data petendi, quod

vellet, non petierit animas inimicorum suorum: terrere debet illos, siquidem nil videtur esse calamitosius, quam in hostium manu tradi. Hinc enim se occidere maluit Saul, quam in manus hostium suorum venire, I. Reg. ult. Hinc ethnicus Labeo Marsus se et filium interemit, ne vultum intueretur Octavii victoris sui, Pontan. de fortit. bell. Hinc Cleopatra, ne in triumphum duceretur ab Augusto brachium aspidi mordendum dedit, causa declinandæ ignominie. Quare in solatium electorum, qui hic affliguntur, in terrorem impiorum, qui affligunt illos dicemus in præsentiarum, unde illi se consolari, isti sibi timere debeant.

I. Videbunt sancti iudicaturi hostes suos, qui quot, quæ contra ipsos olim machinati sunt: et hæc omnia sigillatim intuebuntur, extorquebunt ex illis, et velut iudices cognoscent; adducentur enim ad ipsorum pedes eorum persecutores, et e tenebris in lucem eorum ipsis producentur. Sic enim episcopo Philadelphia nuntiat Deus, Apoc. III. *Ecce faciam illos, ut veniant et adorent ante pedes tuos, et sciant quia ego dilexi te.* Quantam hoc affert sanctis gloriam, hostibus eorum confusione? Vehementer angit homines, quod sæpe persecutores et oppressores suos agnoscere non possunt, imo sæpissime advertunt, se tales habere in domo sua, alere ad mensam suam, raro tamen possunt indagare illos. Affligebat hoc regem Syriæ, qui IV. Reg. VI. ait: *Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud regem Israel.* Videbunt ibi sancti proditores suos, et o quando illorum tremore? Bruta animalia si post noxas capiunt et in lucem vel aspectum hominum producantur, horrent, tremunt, vultum submitunt, et aspectum hominum ferre nequeunt. Ita lupi cum in foveis capti aspiciuntur, ita fures et pasquillorum confectores, qui diu clam nocuerunt, tandem deprehensi et in lucem ac conspectum eorum, quibus nocuerunt, producti, quo animo, quo tremore apparent? Existimo sane sanctorum persecutores modo aliquo magis terrendos et affligendos ex aspectu sanctorum, quos persecuti sunt, quam Christi ipsius summi iudicis: nam eorum tantum, quos persequabantur, oculos metuebant, non item Dei, de quo nihil solliciti erant. Merito igitur fiet, ne in eorum conspectum producantur, quos maxime metuebant. Ita enim David post adulterium patratum, metuebat tantum homines ne ipsi rescirent factum. Ideo Uriam in domum remittere ad uxorem conatus est, ideo eum perimi mandavit: nihil de Deo cogitavit. Sed quid audit a Deo per prophetam Nathan? *Tu fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel et in*

conspectu solis, II. Reg. XII. ita ergo Deus faciet in novissimo iudicio sanctis, singulis adducendo persecutores eorum. O quanto pudore afficientur ii præsertim, qui se amicos simulabant, qui beneficiis aucti fuerunt ab iis, quos vexabant? Quanta confusio occupavit Aman, cum audivit regem interrogantem: *Quis est iste, et cuius potentie ut hæc audeat facere?* Et reginam respondentem: *Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman?* Hoc enim audiens illico obstupuit: *Vultum regis ac reginæ ferre non sustinens,* inquit textus, Esth. VII. Simili eventu et anticipato iudicio confusus et confectus est schismaticus ille princeps Bardas a Michaelae imperatore Constantinopolitano Cæsar appellatus; qui postquam catholicos diu afflisset, Ignatium virum innocentem de patriarchali throno deiecit, post longam patientiam, ut refert Baron. anno 867. visus illi per somnium B. Petrus fuit, cui assistebant duo terribiles viri, et ad vestigia ejus procum bens Ignatius, et cum lacrymis clamans: *Claviger regni caelorum, et petra in qua Christus suam firmavit Ecclesiam: si nosti qua injuria affectus sim, consolare senectutem meam multa mala passam. Ostende, inquit Petrus, eum qui te injuria affecti, et Deus faciet cum tentatione proventum; et conversus Ignatius dextera manu Bardam ostendit, dicens: Hic me maxime omnium offendit, et necdum injuriis me afficere desinit. Tum Beatus Petrus illi, qui ad dexteram sibi adstabat, ait: Assume Bardam istum execrandum, et extra atrium ecclesie illum membratim concide quam primum. Tractus igitur ad necem Bardas. Visus autem illi præterea, quod manum vibrans adversus imperatorem Petrus dixit: *Impie fili expecta parumper.* Cujus somni eventus post tres menses secutus est, perfidie enim accusatus occisus est et membratim dissectus. O quam tremant reprobi, cum Deus sanctis dicit: *Ostendite eos qui vos persecuti sunt?**

II. Recuperabunt a suis persecutoribus, vel nolentibus ablatum sibi honorem, bonaque cætera, quod maxime illustrabit eos. Ita Psal. LVII. dicitur: *Letabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Ut unde ille cruentus magis,* ait D. Bernard. serm. in Psalmum Qui habitat, *inde iste nitidior videatur: unde ille plus sordet, inde iste pulchrius clucescat.* Quis enim nescit homini innocenti majori gloria restitui honorem ablatum, quam retineri nunquam ablatum? Hinc enim est tritum illud Senecæ: *Nondum felix es, si te turba non irriserit.* Multo majori cum gloria eductus est incolimus et lacu leonum Daniel, viditque inimicos suos ab eis discerpi, quam si nunquam in illum missus fuisset, Dan. VI. Similiter et Susanna multo majori gloria li-

berata est a supplicio parato, viditque accusatores suos ei addictos, quam si nunquam addicta ei fuisset, Dan. XIII. Celebre etiam hujus rei exemplum præbet S. Paphnutius, cui cum quidam suorum fratrum codicem suum furtim in cellam ejus inferens occultasset, ac postmodum furti coram fratribus accusasset, invento in ejus cella codice et Paphnutio propterea publicæ penitentiae subjecto, et in ecclesie limine prostrato, accusator a dæmone arreptus est, rem et fraudem ejus omnem detegente: quo diu vexatus a nemine alio, quantumvis etiam potente alias in hac re, liberari potuit, præterquam a solo Paphnutio, Deo ad singularem ejus gloriam, et famæ restitutionem, hanc et potestatem reservante, ut refert Raderus, parte III. viridarii sanctorum, c. XI. tunc enim criminato nomen S. Paphnutii proclamare et exaltare; suum vero delictum damnare et confundere cepit. Quod si hoc viventibus sæpe accidit sanctis, et ob rem tam vilem; quid fiet in die illa, cum omnes eorum oppressores ad eorum pedes adducentur, ut honorem eis cæteraque bona restituant, injurias revocent, delicta fateantur? Si modo durissimum est hominibus injurias deprecari, et criminationes recantare coram magistratu sæculari, quam ægre et violenter id fiet coram toto mundo ante pedes offensorum? De his enim Apoc. c. XVI. ait S. Joannes: *Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt et sanguinem eis dedisti bibere. Digni enim sunt.* Hoc est, injurias sanctis allatas in se transferre et devorare cogentur. Formam recantationis describit in persona eorum Sapiens, cap. V. dicens: *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitaneitate salutis dicentes intra se, penitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus, etc.*

III. Videbunt oculis suis exaltationem hostium suorum id quod sanctis maximam lætitiā et gloriam, impiis vero jugens dedecus et dolorem afferet. Hujus enim victoriae lætitiā promittitur in Psalm. CXIX. *Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis.* Videbis hoc et præsens intueberis, non per relationem tantum aut famam. *Oculis tuis,* ait, hoc est, illis ipsis, quibus olim tam depressionem et persecutorum tuorum insolentiam et superbiam fuoremque in te exercitum videbas. Nihil magis optabant impii et optant adhuc, quam justorum, quibus infensi sunt, videre depressionem et interi-